



Bibliothèque numérique


medic @

**Bousquet, Michel - candidat / Disdier,
François-Michel - président. - De
transversis juguli vulneribus**

1775.

***Paris : Typis Michaelis Lambert,
Regii Chirurgiae Collegii
Typographi, viâ Cithareâ,
Cote : ms 2344, n°17***







AUGUSTISSIMO
ATREBATUM COMITI.

DE TRANSVERSIS
JUGULI VULNERIBUS.

T H E S E S
ANATOMICO-CHIRURGICÆ.

QUEMADMODUM inter varias partes è quibus constat corporis humani compages, aliæ sic perire possunt, ut earum damno nihil vitæ decedat, aliæ verò vix, eâ salvâ, graviter læduntur; ità vulnera quædam & moræ patiuntur aliquid, nec exquisitum artis auxilium expectant, quædam verò solertem manum promptiùs exposcunt. Ex his autem pauca sunt graviora magisque periculosa, quàm quæ

A

fiunt in jugulo, cum capiti truncus eâ parte committatur, atque ibi per vitales meatus fiat utriusque commercium, quo sublato, protinùs machinam solvi necesse est. In hanc sapiùs, utpotè furorì suo opportunam, ferro defaviunt immaniter, & qui desperatione vel quâlibet mentis alienatione rerum pertæsi, vitam sibi abrumperere voluerunt, & qui scelere & crudelitate efferati necem aliis inferre non reformidant. Et jugulum quidem, ut externæ vi minùs latè porrectum est, ità ferè nunquam, nisi quodam lethi discrimine, ferro patitur; & quoties elusus furor animam ejusmodi plagâ non prorsùs expugnavit, horrenda certè relinquit vestigia, & sapiùs intercisas deglutendi aut spirandi vias: vox miseros deficit & si quid exforbere voluerint, id ferè totum per vulnus defluit. Sic affectis si qua salutis spes affulgeat, hæc tota profectò in Chirurgiâ posita est; neque artis medendi pars illa, tot ac tantis beneficiis & curationum miraculis inclyta, tam malè multatos homines destituit inopes auxilii, imò quosdam etiam desperatos & quasi depositos ad lucem & sanitatem revocat. De his tantùm juguli vulneribus ab instrumentis secantibus transversè inflictis, tractare nobis mens est, postquàm partes colli anteriores quæ jugulum constituunt, prout in dissectione occurrunt, indigitaverimus.

E X A N A T O M I A.

SUB tegumentis communibus cuticularique musculo totum ferè jugulum occupante, occurrunt venæ jugulares externæ, pluresque nervorum rami ex primis cervicalibus, nono capitis pari, septimique parte duriori. Os hyoïdeum inter & maxillam inferiorem videre est glandulas maxillares pluribus glandulis conglobatis comitatas, vasa maxillaria externa, musculos digastricos & stylohyoïdeos. His subjacent mylohyoïdeus, geniohyoïdei, plurimum textûs cellularis cum nervorum nono pari, ramoque linguali quinti paris. Adfunt deindè genioglossi, hyoglossi, styloglossi, hyopharyngeique musculi,

vafa lingualia, nervi linguales octavi paris, glandularum maxillarium ductus salivales, glandulæque sublinguales substratæ oris membranæ in cujus cavità lingua, quæ fibris muscutorum de quibus dictum est, præcipuè movetur.

Ab osse hyoideo ad pectus, muscutorum sternomastoïdeorum maxima pars, coracohyoïdei, sternohyoïdei, sternoque thyroïdei, juxtà & subter sternomastoïdeos, venæ jugulares internæ, carotides arteriæ, nervi octavi paris & intercostales pluresque cervicalium rami, multum textûs cellularis, multæque glandulæ conglobatæ, deindè glandula thyroïdea, hyothyroïdei, thyro & crico-pharyngei, cricothyroïdeique musculi, vafa laryngea, ramusque nervi laryngei externus. His omnibus excisis nudantur os hyoïdeum, scutiformis cartilago, pars cricoïdis anterior & ligamenta quæ cartilaginem cricoïdeam & os hyoïdeum ad cartilaginem thyroïdeam alligant. Sub iis partibus, nervi laryngei ramus internus, nervi recurrentes, vasorumque rami laryngeorum, thyro & crico arythenoïdei musculi, glandulæ mucosæ, epiglottis, ipsius ligamenta, & membranâ laryngis apertâ, glottis ejusque sinus apparent. Retrò pergendo reperiuntur glandulæ cartilagineeque arythenoïdæ, inter quas musculi arythenoïdei, transversalis unus & duo decussati, postea crico arythenoïdei postici, aliique ad pharyngem pertinentes musculi: è regione partis inferioris cricoïdæ cartilaginis œsophagi initium: laryngem infra aspera arteria cui tantisper sinistrorsùm subjacet œsophagus.

E X C H I R U R G I A.

VARIA sunt juguli vulnera; alia non nisi summam cutem atque carnem lædunt, alia in cavitatem oris penetrant, in aliis venæ vel arteriæ grandiores, larynx, vel pharynx, vel aspera arteria, vel œsophagus, vel denique plures partes simul incisæ reperiuntur (1).

(1) Omnes ferè observationum Chirurgicarum scriptores, varia juguli vul-

Si plaga supra os hyoïdeum illata penetraret, ad cavitatem oris transit (1), & secantur digastrici, hyoïdei anteriores muscoli, musculique linguæ, nonnum nervorum par, vasa lingualia, ramusque lingualis ex octavo pari: si os hyoïdeum inter & cartilaginem scutiformem, tunc ad partem laryngis superiorem & pharyngem; & inciduntur muscoli sternohyoïdei, coracohyoïdei, hyothyroïdei, æquè ac ligamentum quod os hyoïdeum ad thyroideam cartilaginem connectit; epiglottis aut tota ità scinditur ut pars superior basi linguæ adhæreat, inferior verò thyroideæ cartilagini, aut altera ejus ora secatur. Offenduntur sæpè muscoli sternomastoïdei; hîc rarò adest hemorrhagia. Si vulnus inter cartilagine thyroideam & cricoïdeam, vel in his cartilaginibus, cæduntur muscoli sternohyoïdei, sternothyroïdei, glandula thyroïdea cum præcipuis vasorum laryngeorum ramis, musculique cricothyroïdei; profundius quàm in laryngem illud penetrare difficile est, pars posterior cartilaginis cricoïdeæ instrumento resistit, nisi obstaret & vulnus in pharyngem produceretur, nervi recurrentes magnaue vasa læderentur, ut læduntur, si asperæ arteriæ vulnus in œsophagum progreditur (2).

Ex allatis diagnosi non est incerta, inspectio sola sufficit; si

nerum exempla tradiderunt. Paré, Tulpius, Bartholin, Marchetis, Albucasis, Casserius, Dionis, Habicot, Garengot, &c. *Les Mémoires de l'Académie Royale de Chirurgie.*

(1) In experimentis anatomicis, vulnus ita penetrat in cavitatem oris ut epiglottis non lædatur.

(2) Id evenit in experimentis anatomicis licet vacua sint vasa, à fortiori per vitam id evenire debet. Attamen his periculis anatomicis adversantur nonnullæ observationes, inter quas illa notabilis est quam refert Garengot, oper. Chir. tom. 2, obs. 13, cap. de Bronchot. Errasse verò mihi videtur; quidam enim, ait ipse, Chirurghi qui vulneratum viderunt, non asperam arteriam incisam verùm epiglottidem contenderunt. Indè patet vulnus non inter cartilagine thyroideam & cricoïdeam, aut hyoïdem inter & cartilaginem scutiformem extitisse.

vulnus in larynge aut in trachæâ, per illud fugit aer, & vox vel deficit, vel deprimitur; si verò in pharynge aut œsophago, alimenta tunc elabuntur.

Ex vulneris situ, partibus læsis & accidentibus prognosis deducenda: cum cutis tantùm vel caro incisa deprehenditur, haud sanè est quod vulneratorum saluti magnoperè metuamus. Si penetrent vulnera, quæ supra os hyoideum ità periculosa, ut ceteris paribus periculum minus sit prout sunt inferiora. Jugularium internarum incisio gravis & periculosa, sanari tamen potest, dummodò non nimis sit ampla. Multò majus est periculum, si læsæ fuerint arteriæ carotides; imò de salute ferè desperandum (1).

PER orarum vulneris contactum, quietem assiduam, altumquæ silentium sanatio obtineretur: quocumque alimento abstinereat vulneratus, si partes deglutitioni inservientes præcisæ fuerint: absint suturæ quæcumque nusquam aliàs inutiliores; vulneris oræ faciliè coadunantur, & rectè coadunatæ conservantur, si vulnerati caput inflexum ad pectus admoveris, & sic firmatum teneas hujus deligationis ope.

IN capitis vertice applicanda est fascia, quæ funda dicitur; cujus extremitates alligandæ sunt ad mantile circum pectus rectè firmatum ope tum scapularis, tum fasciæ, quæ mantili posteriùs affixa, per dorsum descendit & inferiùs finditur, ita ut bini frondes inter femora trajecti ad mantile anteriùs ita promoveantur, ut alter dextro, sinistro lateri alter probè jungantur.

(1) Ligatæ utriusque etiam arteriæ carotidis in vivis animalibus non desunt experimenta. vid. Morg. de sed. & caus. &c. Et sæpè observatum est animalia æquè propemodùm valere ac antequam arteriæ obligarentur. Swietenus com. in Boerh. aph. loquitur de rustico cui arteria axillaris incisa fuerat: sanguinis eruptio tanta fuit, ut, animâ eum deficiente, hemorrhagia desierit, hocque vulnus paulatim conglutinatum fuit. Vulnera tamen carotidum nunquam ferè non mortifera meritò pronunciantur, citiùs enim pereunt vulnerati immodicâ sanguinis profusione, quàm Chirurgus aliquis advocari in auxilium queat.

Si sit tranquillo animo æger, & curationem desideret, hæc deligatio sufficit; si verò vel demens vel furiosus artis beneficia rejiciat, custodes illi sedulò sunt apponendi.

PROCVL unguenta & emplastra, solo linamento sicco uti satius est, nonnumquam tamen cum utilitate emplastrum glutinans (gallicè *taffetas d'Angleterre*) adhiberi potest.

Si, oris plagæ rectè conjunctis, sanguinis eruptio non sistitur, certè quidem quoddam ex vasis præcipuis læsum fuit & statim filo ligandum.

CURATIONEM vulnerum quæ supra os hyoïdeum inflictæ in cavitatem oris penetrant, suscipere semper non licet, quandoque enim suffocatur æger, si, demisso capite, vulneris oræ coadunentur (1). Nimirùm præcisus musculus qui os hyoïdeum anteriùs retinet, illud à posterioribus antagonistis retrò trahitur, quod quidem fieri non potest, quin epiglottis deprimatur, epiglottide verò depressâ, interclusus spiritus arctè meat, arctiusque pronò capite. Quid Chirurgiæ in hocce gravi casu? Ad Bronchotomiam confugiendum; per hanc enim rimam artificialem spiritum ducet æger, tunc sine periculo ad vulneris oras coadunandas, & caput inflexum suprâ dictâ deligatione, & linguam retrò depressam sacculi ope pro linguæ vulneribus à D. Pibrac propositi (2) continere potes. Ægro interea sustentato clisteribus nutrientibus, vel alimentis in pharyngem per tubum aptum illatis, vulnus conglutinatur: facilis tunc per vias naturales respiratio, tunc tubuli inutilitas in rimâ artificiali cui brevi tempore cicatrix obducitur (3).

(1) Servus quidam sibi jugulum cæcidit supra os hyoïdeum, grande erat altumque vulnus, per illud solummodò vix spiritum trahebat, jamque moriturus, si caput ejus inflecteretur; post quadriduum miserabilem in modum periit, quem à morte eripuisset operatio infrâ proposita.

(2) Mém. de l'Acad. Royale de Chirurg. tom. 3.

(3) Bronchotomiam feliciter instituit Habicot, quia vulnere suprâ laryngem

OMNIMODAM abſtinentiam præcipuè potùs in longum ducere ſemper non licet, ægri nonnumquam ſiti ardent, eam diu ſuſtinere non valent & sæpè lentiori pede progreditur ſanatio.

COMPENDII cum Rex moraretur anno 1773, Nigrita quidam viginti circiter annos natus in urbis hujusce ergaſtalum deſuſus fuit, ibique patibuli metu jugulum ſibi præcidit. Advocato Chirurgo, vulnere ſummâ curâ & ſolertiâ ſtatim proviſum fuit, ejuſque oræ tertio poſt die hinc & indè futurâ conjunctæ fuerunt, at irritò ſucceſſu. Elapſo menſe, miſer Nigrita in caſtellum Bicetrienſe mittitur, ſi fortè ſanari poſſet. Vox ejus adèd exilis erat, ut vix audiretur, & ſi quid exſorbere vellet, ex majori parte, tuſſi violentâ adveniente, per vulnus effluebat. Miſſâ futurâ læſas partes introſpicio quâ poſſum diligentia, & apparet incifa ex parte epiglottis, ita ut dextrorſus daretur in pharyngem aditus; corpore capiteque in ſitu idoneo poſitis, cibum potumque interdixi, & cliſteres præcepi jurulentos. Hanc abſtinentiam ægrè in poſterum diem ſuſtinuit æger. Siti ardet intolerabili, variis nociviſque motibus agitatur; manu tremulâ potum invitus admoveo, neque præjudicata me feſellit opinio; recrudescit tuſſis vehemens maximaque potionis pars per vulnus erumpit. Nunc ergo Nigritæ malum duplex, ſitis & vulnus, & quidem contrarium, in hoc rerum ſtatu præcepi aquam miſceri cum althææ fyrupo, juſque è vitulo ſine ſale exprimi quo tuſſi occurreretur, deindè curavi ut guttatim biberet, & corpore ſiniſtrorſum inclinato portionem in hanc partem dirigeret; difficilem hauriendi modum ubi obtinuit, jam nihil quidquam per vulnus effluxit, miſerque Nigrita brevi tempore convaluit.

illato, tumefcebat, inquit, guttur, & æger ſuffocabatur. Hic caſus à noſtro differre non mihi videtur, & ſuffocatio ſectioni potiùs partium ſuprà dictarum quàm intumeſcentiæ erat tribuenda, vulnere quidem caſum inſiſta eò non intumeſcunt ut ſuffocetur æger.

Hinc hauriendi modo tam feliciter adhibito non sanè est locus, si epiglottis tota sit abscissa, sed tunc partes divisæ ad proximum contactum magis propensæ videntur : minor est irritatio ; si siti vehementer conflictetur æger, non negetur potus ; modò lentè ac parcè bibat, non accidit tussis, & sæpiùs nihil quidquam ex sorbitione per vulnus defluit, quod quidem non semel observavi, adeòque faciliior & promptior fit sanatio cum penitès, quàm si ex alterutrâ parte epiglottis dividitur.

F I N I S.

HAS THESES, Deo favente, & Præside M. FRANCISCO-MICHAELE DISDIER, Artium & Chirurgiæ Magistro, Scholarum antiquo Præposito, Regiæ Chirurgorum Academiæ Consiliario, &c. tueri conabitur MICHAEL BOUSQUET, Sarlatensis, Artium præclaræ Facultatis in Universitate Parisiensi Magister, Nosocomii Generalis Parisiensis in Domo dictâ BICÈTRE nuper Chirurgus præcipuus, necnon Serenissimi PRINCIPIS ATREBATUM COMITIS Chirurgus, Theos Auctor.

P A R I S I I S,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,

Die Sabbati, octavâ mensis Aprilis, Anno salutis 1775,

à sesqui - secundâ post meridiem ad septimam.

P R O A C T U P U B L I C O

E T

S O L E M N I C O O P T A T I O N E.

Typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgiæ Collegii
Typographi, viâ Citharæâ, 1775.